

## **Sobre los comentarios salmantinos al artículo Décimo 5. La autoridad de la Iglesia\***

IGNACIO JERICÓ BERMEJO

Apenas había aparecido el siglo XVI cuando tuvo lugar la gran e inesperada ruptura. Una buena parte de los bautizados rompió con Roma. Desobedeció sorprendentemente a su madre. Abandonó su propia casa. En una palabra prefirió correr la aventura de emprender un camino especial y del todo independiente. Precisamente fue el fraile agustino Martín Lutero († 1546) quien se permitió ofrecer sus enseñanzas desde el axioma de la *sola Scriptura*. Enseñó a sus seguidores desconfiaran cada día más de la Iglesia e incitó a que desconfiara de ésta. Quedaron sin confianza alguna. Aceptaron de buena gana que su madre, la Iglesia, pudiera engañar a los demás y engañarse a sí misma al enseñar la fe. De todas formas quisieron justificar por qué habían roto con la Iglesia. De veras no es fácil compartir que un hijo rompiera drásticamente con su madre.

Así las cosas obligados tuvieron Lutero y sus seguidores que señalar que tuvieron que romper con la Iglesia. Antes habían aceptado que ella tenía autoridad para imponer a los cristianos lo que había que creer y qué no había que creer. Pero llegó el día en que dijeron que esto le correspondía únicamente a la Sagrada Escritura. Por otra parte ya habían comprendido estos luteranos que eso que se denominaba por entonces la Iglesia; es decir, la católica, ya no enseñaba con acierto la verdadera fe. Se imponía el tener que romper con Roma. Y decidieron decir no podían obedecer a esta Iglesia, y ante todo les era imposible el someterse al Sumo Pontífice. Para nada necesitaban a la Iglesia. Debían seguir únicamente a Dios; mejor todavía, debían dejarse guiar en adelante sólo por la Sagrada Escritura.

\* Sobre los artículos anteriores, Cf. *Archivo Teológico Granadino* 73 (2010) pp. 5-60; 74, (2011) 33-138; 77 (2014) pp. 163-254

## A MODO DE INTRODUCCIÓN

Aquí se ofrecen textos latinos de Vitoria, Soto, Carranza, Cano, Chaves y Cuevas.

### 1. Francisco de Vitoria

a) Relectio. De potestate Ecclesiae prior, pp. 242-245) (1532)<sup>1</sup>.

[p. 242] [De potestate ecclesiae prior. [...] De potestate Ecclesia in praesentiarum, disputaturus, de ipso ecclesiae nomine, ut pauca prius praemittam, necesse est ut intelligatur quid sit id de cuius potestate disserere constituimus.

Ergo Ecclesia, vocabulum graecum et nomen est *ekklhsia, as*, concilium, concio, congregatio et locus ipse quo convenitur, ut etiam capit Lucianus in *Dialogo Mercurii et Maiae*. Unde *ekklhsiatidso, concionator, ekklhsiaestes concionator*. Verbum est ante salutem orbis, id est, ante christianitatem nondum latinitate donatum, sicut pleraque alia graeca fuerunt, nec (quod sciam) per ea tempora ab alioquo latinorum usurpatum. Sed tamen apud christianae eloquentiae et religionis patres et principes frequentissimum, ut videre est apud Tertullianum, Cyprianum, Lactantium, Hieronymum, aliosque item clarissimos auctores. Ubi vero Sacrae [p. 243] Litterae graecae habent ecclesiam, interpretes plurimum idem verbum reliquerunt, sed nonnunquam etiam pro ecclesia aut congregationem, aut concionem verterunt, ut Deut. 18,15-16 ubi nos ita legimus: Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis sicut me, suscitavit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies, ut petisti a Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est; septuaginta habent, in diem ecclesiae, *ekklhsias*.

Et est idem vocabulum cum synagoga. Significat enim sunagogh congregationem, contractionem. Unde Gen. 1,10: *Congregationes aquarum apelleavit maria*. Septuaginta transtulerunt sunagogas, synagogas. Inter quae tamen duo nomina non nihil interesse videtur. Unde Beda exponens illud Proverbiorum 5,14: *Pene fui in omni malo, in medio Ecclesiae et synagogae*, dicit: Ecclesia et synagoga graeca nomina sunt, et unam et eandem rem significant, latine conventum, scilicet plurimorum et invicem. Si autem accuratius dinguamus, Ecclesia convocatio, synagoga congregatio, dicitur.

Unde *synago*, congreco, non convoco. Videtur enim dictum *apo tou sou kai ago*, duco, traho. Et Augustinus Psalmo 81,1 super illud: Deus stetit in

<sup>1</sup> Este texto lo publicó Teófilo Urdániz. Cf. *Obras de Francisco de Vitoria. Relecciones teológicas*. (Madrid 1960) 242-246.

synagoga deorum, id est, populorum Israel: Ipsorum proprie, inquit, synagoga dici solet, quamvis et Ecclesia dicta sit. Sed nostram apostoli synagogam nunquam dixerunt, sed semper ecclesiam, sive discredendi causa, sive quod inter congregationem, aut [p. 244] synagogam et convectionem (unde Ecclesia nomen accepit) aliquid distet, quod scilicet congregari et pecora solent, ac ipsa proprie, quorum et greges proprie dicimus. Convocari est magis utentium ratione, ut sunt homines. Idem Isidorus lib. 8 *Etymolog.* c. 8, ut notetur scilicet irrationatitas iudaeorum.

Quamvis autem Ecclesia, si rationem nominis aspicias, pro quacumque hominum congregatione accipi possit: tamen in Sacris Litteris, sive Novum, sive Vetus Testamentum revolvatur, non invenies (quantum puto) nisi pro concione, aut congregatione fidelium, id est, unius religionis aliquo modo, sive bonorum, sive malorum, quamvis in illis ipsis locis satis appareat esse alias ecclesias praeter ecclesias fidelium. Dicitur enim ecclesia sanctorum, et ecclesia Dei, et ecclesia Israel, et odivi ecclesiam malignantium.

Sed hoc etiam modo loquendo de Ecclesia dubitari potest, an haeretici sint de Ecclesia. Et quidem esse de ecclesia videntur, quia Ecclesia iudicat de illis, ut patet cum excommunicet et ad iudicium pertrahat, et tamen nihil ad ecclesiam de his qui foris sunt 1 Cor. 5,12: Quid enim mihi de iis qui foris sunt iudicare? Item tenentur praeceptis Ecclesiae. Item baptismus est sacramentum ecclesiae, et haeretici sunt vere baptizati. Item, ut postea disputabitur, haeticus potest esse non solum presbyter, sed pontifex etiam summus. Ergo caput Ecclesiae, et per consequens [p. 245] membrum Ecclesiae. Certe licet disputatio non videatur ad rem multum attinere, sed potius ad nomen ipsum. Sed videtur in Sacris Litteris, et apud vetustiores patrum non accipi Ecclesiam, nisi pro congregatione fidelium, atque adeo haeticos non censi intra Ecclesiam.

Haeresis sane electionem, aut sectam, vel divisionem signare videtur, ut Isidorus dicit libro *Etymologiarum*. Ergo haeretici ideo videntur dicti, quod ab Ecclesia divisi et secti sunt. Item Matthaei 18,17 dictum est Petro: *Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*. Ergo non plus haeretici annumerari in ecclesia debent, quam ethnici et publicani. Item ad Ephes. 4,5 Apostolus: *Unus Deus, una fides, unum baptisma*. Videtur ergo quod haec tria contineant unitatem Ecclesiae. Item *De summa Trinitate et fide catholica*: Una est fidelis, universalis Ecclesia extra quam nullus omnino salvatur. Ergo infideles non sunt de ista Ecclesia. Cyprianus ad Rogatianum: Haec sunt initia haeticorum, et ortus atqua conatus schismaticorum, si de Ecclesia egreditur, si altare prophanum foris collocatur. Augustinus super Ioannem: Propter hanc fidei communitatem omnes unum sumus, iuxta illud

ad Galatas 3,29: Omnes vos unum estis in Christo Iesu. Glossa, id est, in fide Iesu Christi.

Et demum Ecclesia nihil aliud videtur significare quam christianam rempublicam seu communitatem et religionem. Parum autem refert, an haeretici aliquo iure aut ratione spectent ad Ecclesiam. Certe re et operibus [p. 246] in Ecclesia non continentur, sicut transfugae non pertinent ad exercitum a quo transfugerunt. Nos itaque in hac relectione de Ecclesia hoc nomine solum utimur, ac loquimur ut idem sit, quod fidelium communitas, sive respublica.

b) MÉXICO. Biblioteca Nacional. Ms. 49, fols. 25r-27r (¿1525-1532?)

[fol. 25r][...] Articulus 10<sup>us</sup> [1<sup>um</sup> dubium.] An conveniat summo pontifici ordinare symbolum, etc. Conclusio est affirmativa.

Quaeritur ad quem spectat ordinare symbolum. Ad hoc respondet doctor quod ad quem spectat dare auctoritatem determinationis ecclesiae. Titulus quaestionis est clarus. Sed ante omnia dubitatur quid est ordinare symbolum. Nonne Augustinus poterat colligere ex scriptura sacra principales propositiones de Deo, et illud non esset symbolum.

Respondetur quod ordinare symbolum non est facere quod aliquid sit de fide quod prius non erat de fide, etiam quod reveletur aliquid quod prius non erat revelatum. Nam quod Deus est trinus et unus antequam in concilio determinaretur erat de fide, et antequam in simbolo poneretur.

2°. Dico quod condere symbolum vel articulos, vel addere novum articulum, non est determinare aliquam propositionem esse de fide quae prius non erat determinata de fide. Nam licet aliquae propositiones sint determinatae a patribus, illud non sufficit ad hoc quod illi sint articuli. V. g. [fol. 25v] quod Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio habetur in concilio florentino. Unde dico: Quodcumque proponitur, hoc quod ibi proponitur, aliqua propositio, esse de fide quae ante non erat determinata, non est articulus fidei. Nam quod habuerit Christus duas voluntates: divinam et humanam, et quod habuerit Christus veram carnem, fuit etiam determinatum in concilio. Non tamen propter hoc istae propositiones sunt articuli cum in sacra scriptura etiam erant de fide. Sed nihilominus non erat determinatum esse de fide quousque determinaretur a concilio constantiensi<sup>2</sup> sub Martino 5°, et in concilio florentino.

3°. Dico quod condere symbolum est proponere omnibus christianis aliquam propositionem tanquam veram et credendam ab omnibus sub mandato et praecepto ecclesiae quod omnes credant. Nam licet multae

---

<sup>2</sup> Ms. lugdunensi.

propositiones sint determinatae, non tamen sunt articuli, sicut quod Christus habuerit duas voluntates: unam divinam et aliam humanam. Tamen non tenetur christianus ad sciendum has propositiones, sed solum articulos et ea quae continentur in symbolo. Nam oportet quemlibet christianum scire omnes articulos fidei et credere. Sed non omnes tenentur scire supra dictas propositiones. Et episcopus vellet legere et declarare Apocalypsim. Possent subditi dicere: Nolumus audire vel discere. Sed non, si vellet docere articulos fidei. Et hoc est quod dicit d. Thomas, quod spectat ad summum pontificem determinare ea quae sunt sub praecepto credendi, quando dicit quod ad summum pontificem pertinet nova editio symboli.

[2<sup>um</sup> dubium.]<sup>3</sup> 2<sup>o</sup> dubitatur principaliter quid est determinare aliquam propositionem esse de fide. Utrum quidquid habetur in ecclesia sit determinatum tanquam de fide, vel utrum quidquid in conciliis solum. An si ecclesia universalis cantet aliquid, illud sit de fide. [Primum dictum.]<sup>4</sup> Respondetur quod ad hoc quod aliqua propositio dicatur esse determinata ab ecclesia non sat est quod ecclesia utatur illa tanquam vera, etiamsi tota ecclesia universalis cantet et utatur illa. Ut [fol. 26v] martyrium Petri. Licet usum sit celebrari ab omni ecclesia, non inde est de fide. Sed est argumentum magnum usus ecclesiae. Ita quod non est reiiciendus nisi habeatur magna auctoritas in contrarium sanctorum vel magna causa. Nam ecclesia etiam utitur verisimilibus ab historiis.

[2<sup>um</sup>.]<sup>5</sup> 2<sup>o</sup> dico quod etiam ad hoc quod aliqua propositio sit de fide non sufficit quod totum concilium universale utatur illa. Nam plurimae rationes et auctoritates ad aliqua probanda adducuntur. Sicut in concilio florentino adducitur auctoritas d. Jacobi; scilicet: Infirmatur quis, etc., ad probandum quod extrema unctio sit sacramentum. Nec inde est de fide quod ille sit sensus illius propositionis.

[3<sup>um</sup>.] 3<sup>o</sup> dico quod ad hoc quod aliqua propositio sit de fide non sufficit quod determinetur tanquam vera in concilio generali vel a summo pontifice. Probatur. Nam potest determinari solum tanquam probabilis. Nam ecclesia determinavit tanquam probabile quod in baptismo pueris infunduntur virtutes. Sed illud non est de fide. Sed assumitur tanquam probabile quod pueris dentur virtutes. Unde videndum est quid vertitur in dubium in conciliis. Nam in illo concilio *o* principaliter vertebatur in dubium utrum pueris detur gratia. Et ideo illic principaliter determinatum fuit quod datur illis gratia in baptismo tanquam de fide.

<sup>3</sup> Al margen, sin indicación.

<sup>4</sup> Al margen, sin indicación.

<sup>5</sup> Al margen, sin indicación.

[4<sup>um</sup>.]<sup>6</sup> 4<sup>o</sup> dico quod ad hoc quod aliquid sit de fide requiritur quod determinetur a summo pontifice vel ab ecclesia, non solum quod sit vera propositio, sed quod determinetur esse de fide. Et similiter dico. Ut quod sit purgatorium est determinatum ab ecclesia tanquam de fide. Ut similiter dico sicut prius, quod dato quod canonizetur aliquis sanctus in concilio, sed non est de fide illum esse sanctum vel aliquem alium.

[8<sup>um</sup> dubium.]<sup>7</sup> Sed quaeritur loquendo de determinatione concilii vel summi pontificis circa id quod dicitur in litera, quod ad auctoritatem summi pontificis pertinet nova editio symboli. Quaeritur ergo utrum in eodem gradu sit auctoritas vel ubi maior, in ecclesia vel in sacra scriptura. Quia solet dubitari ubi est maior auctoritas, in ecclesia vel in sacra scriptura.

[fol. 26v] Et conclusio tenenda ab omnibus christianis: Quod infallibilis est auctoritas utriusque, et quod infallibilia sunt aequaliter ea quae tenentur in ecclesia et ea quae tenentur in scriptura sacra circa ea quae sunt fidei. Et hoc non est dubitandum quia contra haec est ultima haeresis lutheranorum qui conantur labefactare auctoritatem ecclesiae. [Haeretici quidem non sunt de ecclesia cum non habeant veram fidem nobiscum. Et probatur ad Ephesios 4<sup>o</sup>: Unum corpus, unus Deus, unum baptisma, una fides. Et 2<sup>ae</sup> Ioannis 1<sup>o</sup>: Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Soli ecclesiae. Excommunicati vero sunt de ecclesia cum fidem et characterem habeant. Nam alioquin inquisitores contra illos procederent.]

Sed aequalitate auctoritatis, quae illarum sit maior; scilicet, ecclesiae vel sacrae scripturae. [Opinio Abulensis.]<sup>9</sup> Dominus Abulensis in prologo super Matthaeum dicit quod maior est auctoritas ecclesiae quam scripturae sacrae; imo, dicit quod si liceret, tenemur nos credere. Et ideo non est credendum de mente illius evangelio, nisi quod ecclesia approbat, ut dicit auctoritas Augustini. Nam si ecclesia diceret quod evangelium Ioannis non est eius, credendum est ecclesiae in hoc, ita quod quidquid ecclesia teneat, etiam contra evangelium, tenendum est. Ut patet ex eo, quia s. Iudas in sua epistola citat librum Enoch. Tamen ecclesia non approbat librum Enoch.

[Opinio Caietani.]<sup>10</sup> Dicit tamen Caietanus tractatu de comparatione papae et concilii quod maior est auctoritas scripturae sacrae quam ecclesiae, ita quod si in scriptura sacra reperiretur quod Deus non est incarnatus, teneremur credere hoc, licet contrarium sit determinatum ab ecclesia. Et probat quia ecclesia regitur auctoritate scripturae. Et etiam per illud Pauli ad

<sup>6</sup> Al margen, sin indicación.

<sup>7</sup> Al margen, sin indicación.

<sup>8</sup> Ms. 2<sup>o</sup>.

<sup>9</sup> Al margen, sin indicación.

<sup>10</sup> Al margen, sin indicación.

Gal. 1<sup>o</sup>: Licet nos aut angelus de caelo evangelizet vobis praeter quam quod evangelizatum est, non credatis.

[Opinio Driedonis]<sup>11</sup> Et etiam Ioannis Driedonis, doctor Iovanensis vere egregius, qui sacratissime et diligentissime colligit omnes auctoritates sacrae scripturae contra lutheranos qui, si viderent eius operam et legerent, puto quod statim discederent. Is igitur in libro suo de scripturis sacris et dogmatibus ecclesiae libro 4<sup>o</sup> tractat quaestionem hanc et distinguit de ecclesia, quod dupliciter possumus loqui de ecclesia. Aut loquimur de congregatione fidelium quae nunc est; scilicet, a passione Domini usque nunc, vel ab initio mundi. Unde ponit aliquas opiniones.

[2<sup>a</sup> Driedonis.]<sup>12</sup> Prima conclusio. Loquendo de ecclesia incipienti a passione Domini usque nos; scilicet, ad finem mundi, dicit quod sunt aequalis auctoritatis. Probatur. Auctoritas ecclesiae non pendet [fol. 27r] ex sacra scriptura. Ergo sacra scriptura non est maioris auctoritatis. Probatur. Quia tanta firmitas erat in ecclesia et tanta firmitas antequam esset scriptura. Ergo. Probatur antecedens. Nam ante passionem Domini et ante Moysem erat ecclesia. Et tanta auctoritas erat. Et ita firma fides in ipso et in lege evangelica antequam scriberent evangelistae erat tanta auctoritas ante sicut post. Ergo. Item probatur. Quia isto modo includit apostolos, prophetas et evangelistas. Sed tanta auctoritas est in evangelista sicut est in scriptura sacra quia ego non crederem evangelio Ioannis nisi quia credo Ioanni. Ergo. Item probatur auctoritate Augustini: Evangelio non crederem, etc.

[2<sup>a</sup> conclusio.]<sup>13</sup> Capiendo ecclesiam pro congregatione quae nunc est excludendo apostolos, maioris auctoritatis scripturam sacram quam ecclesia. Patet. Nam si esset determinatum in ecclesia aliquid quod non est determinatum ex sacra scriptura, non esset tantae auctoritatis sicut illud quod est in scriptura sacra. Probatur. Congregatio fidelium quae nunc est dirigitur auctoritate scripturae sacrae et ecclesiae antiquae, ita quod non potest excedere limites illius. Ergo maioris auctoritatis est scriptura sacra quam ecclesia quae nunc est. Nec<sup>14</sup> de ista ecclesia dicit Augustinus: Evangelio non crederem, etc., sed de antiqua ecclesia, quia in illa erat spiritus propheticus. Ista tamen non est spiritus propheticus.

[3<sup>a</sup> conclusio.]<sup>15</sup> Nihilominus tamen licet sit ita, tamen quidquid ecclesia determinaverit tanquam de fide, ecclesia (inquam) praesens non potest errare.

<sup>11</sup> Al margen, sin indicación.

<sup>12</sup> Al margen, sin indicación.

<sup>13</sup> Al margen, sin indicación.

<sup>14</sup> Nec. Se halla escrito al margen. En el texto está escrito: Et; pero está subrayado. Aquí se ha deducido que debería ponerse ahí: Nec. Y así se ha hecho.

<sup>15</sup> Al margen, sin indicación.

Unde haec est differentia inter ecclesiam antiquam et hanc. Quia antiqua habebat spiritum propheticum, haec tamen regulariter non. Unde habetur in Actibus apostolorum quod, quando apostoli et ecclesia congregabantur, dicebant: Visum est Spiritui Sancto et nobis. Licet tamen haec non habebat spiritum propheticum regulariter, nihilominus Spiritus Sanctus assistit in ecclesia hac conservando ea quae sunt fidei ne ecclesia nostra pereat. Et totam istam sententiam videtur hic doctor accepisse a Durando in 3<sup>o</sup> Sententiarum d. 24. q. 1<sup>a</sup>.

Unde quando inquit Abulensis quod ecclesia [fol. 27v] est tantae vel maioris auctoritatis quam auctoritas sacrae scripturae intelligit de ecclesia antiqua. Et Caietanus debet intelligi de nova. Et forsitan est probabilior opinio Abulensis, quia propter quod unumquodque tale et illud magis. Sed nos credimus evangelio quia Ioannes dixit et ecclesia approbavit.

Sed Durandus et Caietanus sunt intelligendi de ecclesia quae nunc est. Unde possumus tenere quod auctoritas ecclesiae loquendo de ecclesia antiqua est tanta vel maior quam auctoritas sacrae scripturae. Patet. Quia nos credimus sacrae scripturae quia apostoli dicunt. Ergo magis credimus apostolis, quia propter unumquodque tale. Sed apostoli cum aliis discipulis fuere ecclesia antiqua. Ergo maioris auctoritatis fuit ecclesia antiqua quam sacra scriptura. Et sic opinio Abulensis quoad hoc est verior.

c) MADRID. Real Biblioteca. Ms.1735 fol. 20v-22r (1542-1543)

[fol. 20v] [...] Articulus 10<sup>us</sup>. Utrum pertineat ad Papam fidei symbolum ordinare. Postquam habemus quod articuli possunt crescere successione temporis ad dirimendas novas haereses, quaeritur ad quem pertineat condere novos articulos. Utrum ad summum pontificem.

Et respondet S. Thomas affirmative. Et probat. Primo. Argumento sed contra. Quia editio symboli facta est in concilio generali, ut patet cum concilio nicaeno. Sed concilium congregatur auctoritate papae, ut habetur per totam distinctionem 7<sup>am</sup>. Ergo.

2<sup>o</sup>. Articulus fidei non est nisi quaedam determinatio quae proponitur credenda adversus aliquam haeresim. Sed ad pontificem expectat determinatio dubiorum fidei, ut habetur 24. q. 1<sup>a</sup>. Supposito quaeritur. Est enim mendacium in litera S. Thomae. Nam in distinctione 24<sup>a</sup> non est tale verbum. Idem habetur cap. *maiores de baptismo et eius effectus*.

De conclusione S. Thomae est una gravis quaestio. Postquam sunt tres auctoritates; scilicet, papae, concilii [fol. 21v] et ecclesiae, quod idem est et sacrae scripturae, ad quam horum expectat nostra fides aut ea quae sunt fidei.



Et similiter quaeritur quae harum sit maior auctoritas. Et capiamus ecclesiam ex una parte et scripturam sacram ex alia. An adhibenda est maior auctoritas. Si ecclesia aliquid determinaverit tanquam de fide et inveniremus contrarium in scriptura sacra, cui standum est. Sic, si inveniretur contradictio inter Paulum et Ioannem, cui standum est.

Pro hoc sit conclusio. Quod ecclesia et scriptura sacra sunt aequalis auctoritatis quantum ad infallibilitatem. Et aequaliter convenit ecclesiae quod non potest errare et scripturae sacrae, quia utrique datum est hoc donum aequaliter.

De ista propositione nullus catholicorum dubitavit, sed tamen isti novi haeretici germani negant illam. Et sic dicunt quod ecclesia potest errare. Dicit illud privilegium solum sit in scriptura sacra; imo, quod de facto ecclesia erravit. Et hoc est fundamentum suarum haeresum. Contra hos multi scripserunt bene. Ideo non oportet hic disputare. Loquendo tamen affirmative dico quod dato sunt eiusdem auctoritatis, oportet haec disputare. Quia dato sunt eiusdem probabilitatis conclusiones et principia, sed unum est certius alio. Sic dato ecclesia et sacra scriptura sunt aequalis auctoritatis negative, sed inquiritur affirmative quae sit maior et certior.

[Prima opinio.]<sup>16</sup> De hoc Abulensis in sua introductione super Matthaeum q. 13. dicit quod maior est ecclesiae quam scripturae sacrae, quia *propter unumquodque tale et illud magis*. Sed assentimur. Credimus evangelio propter ecclesiam. Ergo. Probatur auctoritate Augustini contra epistolam fundamenti Manichaei, cap. 5<sup>o</sup>: Evangelio non crederem, nisi ecclesia diceret esse credendum. Ratione probatur. In principio ecclesiae fuit dubium de evangelio Bartholomaei et Nazareorum simul cum evangelio Matthaei, Lucae et Marci, etc. Ecclesia determinavit haec evangelia esse credenda, alia vero non. Ergo. Item de epistola ad Hebraeos et Apocalypsi aliquando fuit dubium, et ipsa determinavit.

Confirmatur. Iudas in sua canonica citat librum Enoch et approbat. Et ecclesia non recipit illum, ita quod si nos haberemus librum illum et sciremus illum esse, possemus negare illum et non credere, quia contra non recepit et approbavit illum. Ergo maior est auctoritas ecclesiae quam sacrae scripturae.

[2<sup>o</sup>.]<sup>17</sup> Caietanus in tractatu de auctoritate papae et concilii in cap. 4<sup>o</sup> tenet oppositum; scilicet, quod maior sit auctoritas scripturae quam ecclesiae. Probat. Quia ecclesia probat determinationes suas auctoritate evangeliorum et scripturarum, quod non faceret Petrus nec Paulus. Ergo maior est scripturae

---

<sup>16</sup> Al margen, sin indicación.

<sup>17</sup> Al margen, sin indicación.

auctoritas. Item magis credendum est dictis beati Pauli quam omnibus aliis hominibus praeter quam auctoribus scripturae; scilicet, evangelistis. Ergo maior est auctoritas scripturae quam ecclesiae.

Probo antecedens. Quia ipsemet Paulus ad Galatas primo dicit: Neque si alius, aut angelus aut ego, aliud praedicavero, credatis eis, nisi epistolae Pauli; licet angelus de caelo evangelizaverit vobis aliud praeter quam quod evangelizavimus, anathema sit.

Tertia opinio est Ioannis Driedonis lib. 4<sup>o</sup> *de ecclesiasticis dogmatibus* cap. 4<sup>o</sup>, ubi proponit hanc quaestionem. Et distinguit quod de ecclesia tripliciter possumus loqui. Uno modo, de ea quae fuit post Christi passionem; id est, de ecclesia evangelica. 2<sup>o</sup> modo, pro ecclesia quae fuit ante passionem Christi. 3<sup>o</sup> modo, sumendo pro ecclesia ut comprehendit utraque. Et respondetur per propositiones.

Prima propositio. Capiendo ecclesiam pro ecclesia universali quae fuit ante et post Christum sunt aequalis auctoritatis ecclesia et scriptura sacra, et e diverso. Quia auctoritas [fol. 21v] ecclesiae illo modo capiendo non dependet ab scriptura. Probatur, quia in lege naturae non erat scriptura. Et tunc erat summa auctoritas in ecclesia et non dependebat a scriptura. Patet, quia ecclesia in lege naturae erat tantae auctoritatis sicut nunc. Sed tunc non dependebat ab scriptura. Ergo.

Item, quia ante legem scriptam erat tanta auctoritas in ecclesia, sicut in lege iudaeorum, et e diverso. Sed intellige. Natura auctoritatis ecclesiae non dependebat ab auctoritate scripturae. Ergo nec in lege Moysi auctoritas ecclesiae. Minor patet. Quia ecclesia Moysi non dependebat, etc. Quia non perdit suam auctoritatem ecclesia quia sunt scripturae. Sed intellige. Natura non dependebat. Ergo auctoritas ecclesiae est aequalis. Idem argumentum potest fieri de nostra ecclesia, quia est eadem ecclesia quae modo. Est et illa quae est vel fuit in lege naturae. Sed tunc auctoritas ecclesiae non dependebat ab scriptura. Ergo nec modo.

Confirmatur. Quia in lege naturae tanta fuit firmitas fidei sicut in lege Moysi. Et sic, ut una est. Sed nunc fides est ex auctoritate ecclesiae et non ex scriptura. Ergo antecedens patet per Paulum: Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam Hebr. 11. Et loquitur de fide legis naturae. Ergo.

Item confirmatur. Quia illo modo loquendo de ecclesia includit prophetas et evangelistas. Et prophetia non est maior auctoritatis quam propheta, nec evangelium quam evangelista. Ergo sunt aequales. Et per idem isto sensu dicit Augustinus: Evangelio non crederem, nisi ecclesia diceretur; scilicet, quae includit apostolos. Et ita intelligunt Driedo et Durandus, etc.

[Driedonis.]<sup>18</sup> 2<sup>a</sup> propositio. Capiendo ecclesiam pro congregatione quae nunc est excludendo prophetas et evangelistas minoris auctoritatis est quam scriptura. Hoc probatur, quia ecclesia quae nunc est probat suas conclusiones auctoritate scripturae. Ergo potius est standum dictis scripturarum, quia ecclesia quae nunc est non habet spiritum propheticum. Et ad beatum Augustinum dicit Driedo quod non intelligit de hac ecclesia quando dixit: Evangelio non crederem, sed intelligit de ecclesia antiqua in qua erat spiritus propheticus. Et ita verum dicit, quia illud erat in principio nascentis ecclesiae. Non enim sciebamus an hoc esset evangelium Matthaei nisi quia credebamus ecclesiae primitivae in qua erat spiritus propheticus. Sed modo postquam sunt recepta evangelia, standum est eis prius quam ecclesiae.

Confirmatur. Quia ecclesia habet pro regula scripturam. Sed maior auctoritas est regula quam regulatae. Ergo maior auctoritas est scripturae sacrae quam ecclesiae. Nam auctoritas apostolorum est auctoritas divina. Et scriptura quae est apostolorum assertio est assertio ipsius Dei, quare illa est summa auctoritas; imo, nec Deus est maior auctoritas quam scriptura. Et hoc significat redemptor noster Matthaei 24: Caelum et terra transibunt, etc. Comparavit sacram scripturam rebus firmissimis quae sunt in universo.

3<sup>a</sup> propositio. Nihilominus haec ita sit, non potest ecclesia errare sicut nec scriptura, quia regitur ab Spiritu Sancto dato quod hoc sit per sacram scripturam. Patet. Quia licet Spiritus Sanctus non ei assistat spiritu propheticum quia non habet de lege spiritum propheticum, tamen ecclesia praesens habet spiritum sanctum sibi assistentem ad confirmandam fidem sibi traditam ab ecclesia antiqua et traditam pro scriptura sacra.

Et Durandus videtur concordare in hoc cum istis dictis Driedonis 3. d. 24. q. 2<sup>a</sup>, licet paucis verbis, ubi dicit quod auctoritas ecclesiae est maior quam scriptura loquendo [fol. 22r] de ecclesia, ubi ut includit prophetas et evangelistas; scilicet, ab initio usque nunc. Et ista videtur probabilissima. Et quod Abulensis dicit forte intelligit sic Driedo. Et Caietanus decipitur ut nunc est. Nihilominus videtur melius dicendum quod quomodocumque capiatur ecclesia, quantum ad auctoritatem et infallibilitatem et certitudinem sunt aequalis auctoritatis.

Probatur. Quia hoc est esse infallibilem. Non habet ecclesia ex se, nec evangelium ex natura sua, sed ex dono gratuito et privilegio divino. Sed hoc privilegium dedit scripturae. Ergo evangelistis et prophetis sine ordine ad ecclesiam se diverso, sed absolute dedit. Ergo unum privilegium non est maius alio postquam non est ordo unus ad alium, nec dependentia. Ergo sunt aequalis auctoritatis, sicut si rex dicat uni: Tu non solvas tributum, et alio

<sup>18</sup> Al margen, sin indicación.

dicat idem. Si aliud non det uni quam alteri, certe erunt aequalis auctoritatis. Ideo non dubitandum est, nisi quod et affirmative sunt aequalis auctoritatis et certitudinis et infallibilitatis. Et auctoritas unius non dependet ab auctoritate alterius, nec e diverso.

## 2. Domingo de Soto

ROMA. Biblioteca Apostolica Vaticana. Ott. lat. 782, fol. 66r/295r/67r-296r (1539).

[fol. 66r/295r] Art. 10<sup>us</sup>. Utrum ad summum pontificem pertineat symbolum fidei ordinare.

Postquam habemus quod articuli possunt crescere successione temporis ad dirimendas novas haereses, quaeritur ad quem pertineat condere novos articulos, utrum ad summum pontificem pertineat. Et respondet s. Thomas affirmative. Et probat primo agumento sed contra: quia editio symboli facta est in concilio generali, ut patet in concilio nicaeno; sed concilium congregatur auctoritate papae, ut habetur per totam distinctionem 17<sup>am</sup>. Ergo.

2<sup>o</sup>, quia articulus fidei non est nisi quaedam determinatio quae proponitur credenda adversus aliquam haeresim; sed ad summum pontificem spectat<sup>19</sup> determinatio dubiorum fidei, [ut habetur 24. q. 1. c. *quaeritur*]. Est enim mendum in littera s. Thomae, nam in d. 42. non est tale verbum. Idem habetur et *maiores de baptismo et eius effectu*.

Haec quaestio est gravissima et habet difficultatem adversus haereticos et inter nonnullos catholicos. Latius nos illa tractavimus in relectione mea de auctoritate sacrae scripturae. Repetam nonnulla quae illic diximus et adiiciam alia. Primum omnium, Wiclef sermone 45., ut refert Waldensis 1. tom. li. 2. cap.<sup>20</sup> dicebat quod nec papa nec tota ecclesia habet auctoritatem condendi articulos fidei, nec determinandi aliquid tanquam de fide eliciendo illud ex sacra scriptura. Hoc patet, nam in concilio nicaeno determinata sunt multa de fide quae antea non erant expresse de fide tanquam articulus, sicut quod Christus est Deus consubstantialis Patri, quod beata Virgo est vere mater Dei, etc.

Sed confirmatur auctoritate sacrae scripturae. Nam Matth. 28., Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi. Et Ioha. 14.: Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis ut maneat vobiscum in aeternum. Et tamen non erat necessarium quod Christus et Spiritus Sanctus manerent

<sup>19</sup> Ms. *expectat*.

<sup>20</sup> En el ms. no hay número.

semper in ecclesia nisi ad gubernandum ecclesiam, et potissimum ad exponendum scripturam quam ipse Spiritus revelaverat.

Et ratione probatur. Nam Christus nisi mutasset condiciones hominum tam clare et perspicue quin alii homines alios elicerent sensus ex eisdem verbis. Nam haec est conditio humana ut quot capita tot sensus, sicut Arius<sup>21</sup> ex illo verbo, *Pater maior me est*, elicuit Christum non esse Deum. Et Sabelius<sup>22</sup> ex illo verbo: *Ego et Pater unum sumus*, elicuit Filium esse eadem persona cum Patre. Ergo necessarium fuit quod Christus relinqueret in ecclesia auctoritatem explicandi sacram scripturam, ita ut illa expositio esset de fide.

Sed respondent haaeretici illud non esse necessarium. Sed quando esset dubium, spectanda est revelatio a Deo inmediate. Sed arguitur quod hoc est intollerabile. Nam si emergente dubio est spectanda revelatio, vel alia revelatio debet fieri singulis personis dubitantibus vel deberet fieri uni qui enuntiaret aliis. Pimum esset absurdum et fatuum dicere; puta, quod singuli qui dubitarent deberent spectare revelationes speciales.

Et si dicitur secundum, tunc est argumentum, quia vel esset certissimum et de fide quod ille cui fieret revelatio posset nos decipere vel non. Si non esset certissimum, tunc adhuc semper maneremus dubii an ille diceret nobis verum, et tunc essent schismata<sup>23</sup> inter homines contra praeceptum Pauli 1. ae Corinth. 1. Si autem esset de fide quod ille non potest nos decipere, certe non potest ille esse alius nisi vel papa vel concilium. Et sic non est dubitandum quin ecclesia possit determinare aliquid tamquam de fide.

Sed tunc est 2<sup>um</sup> dubium. Quae est ista potestas ecclesiae ad condendum articulum fidei. Utrum condere articulum fidei sit recipere novam revelationem sicut apostoli vel prophetae receperunt novas revelationes scripturae canonicae. Breviter sine argumentis respondetur quod non. Nam apostoli et prophetae inmediate illuminabantur a Deo. Itaque recipiebant cognitionem interiorem inmediate a Deo. Ecclesia vero non, nec totum concilium, nec papa. Sed isto modo illuminantur quod si ecclesia consulat sacram scripturam diligenter et conferat unum locum cum alio, et utatur etiam rationibus naturalibus ad determinandum aliquid sive pertinens ad mores sive ad fidem, non permittetur errare. Sed tamen si velit ecclesia spectare revelationem inmediate a Deo, ut dicit Wiclef, tunc certe erraret.

Sed tunc est dubium quomodo sumus certi quod non errat; puta, quod non erraverunt patres conilii nicaeni in determinationibus fidei. Forsan non egerunt totum quod in se erat, nec diligenter perscrutati [fol. 66v/295r] sunt

<sup>21</sup> Ms. *Arrius*.

<sup>22</sup> Ms. *Sabelius*.

<sup>23</sup> Ms. *scismata*.

scripturas. Respondetur quod sumus certi quod non permittet ecclesiam determinare aliquid nisi fererit quantum in se est sufficientem diligentiam.

Sed tunc est dubium quia tunc videtur quod nullam dignitatem attribui-mus in hoc ecclesiae, nam nulli singulari personae facienti quod est in se diligenter permittet errare. Respondetur hoc esse falsum; imo stat quod ve-tula, imo doctor theologus, faciat quantum potest et nihilominus erret licet ignorantia erit tunc invincibilis. Sed ecclesia non potest errare nec per igno-rantiam invincibilem in his quae sunt fidei.

Habemus ergo primum quod ecclesia instituere articulum non est recipe-re novam revelationem. Ex quo sequitur 2<sup>o</sup> quod determinationes ecclesiae non sunt sacra scriptura. Hoc vero connotat sacra scriptura, quod sit imme-diate revelata a Deo. Revelatio tamen ecclesiae non est immediate a Deo, sed per sacram scripturam. Et ideo revelatio apostolorum, puta sacra scriptura se habet sicut principium respectu revelationis ecclesiae<sup>24</sup>.

Aliud dubium principale sequitur hic. Utrum sit tanta auctoritas ecclesiae sicut sacrae scripturae. Auctoritas enim sacrae scripturae, ut diximus modo, est auctoritas apostolorum qui loquebantur ex revelatione Dei immediata. Auctoritas ecclesiae est fundata etiam in revelatione Dei, sed mediante scrip-tura. De hoc etiam diximus in eadem relectione.

Sunt circa hoc 3. opiniones. Prima est Abulensis in sua introductione super Matthaeum q. 13., ubi dicit quod ecclesia est maioris auctoritatis quam evan-gelista et quam mille evangelistae. Et probat quia *propter quod unumquodque tale et illud magis*. Sed evangelistis non credimus nisi propter ecclesiam, quia praecepit ut credamus illis. Ergo maioris auctoritatis est ecclesia. Et confirmatur auctoritate Augustini contra epistolam fundamenti Manichaei cap. 5: Evange-lis non crederem nisi ecclesiae auctoritas me compelleret.

Alia est opinio in alio extremo, quae est Caietani de auctoritate papae et concilii cap. 4. Dicit enim quod maior est auctoritas Iohannis evangelistae quam papae et totius ecclesiae.

3<sup>a</sup> opinio est media Iohannis Driedo libro 4. de ecclesiasticis cap. 4. dis-tinguens de ecclesia. Dicit enim quod si ecclesia accipiatur pro tota ecclesia a tempore apostolorum includendo ipsos apostolos, tunc ecclesia et scripturae eiusdem auctoritatis sunt in his quae sunt fidei, nam eadem est veracitas. Hoc patet manifeste quia soli apostoli habent tantam auctoritatem sicut scriptura; imo, est eadem omnino auctoritas, nam scriptura est assertio apostolorum.

Alio modo accipitur ecclesia pro tota ecclesia excludendo apostolos. Et sic non est tantae auctoritatis sicut scriptura, nec sicut ecclesia primo modo.

<sup>24</sup> Lige a continuación: *Lectio 12*.

Hoc patet quia ecclesia isto modo non potest condere scripturam sacram sicut apostoli, quia non recipit immediatam revelationem sicut ipsi; imo, non potest aliquid determinare tanquam de fide nisi quatenus elicitur ex dictis apostolorum.

Et eadem est sententia Durandi 3. d. 24. q. 1. Dicit enim quod ecclesia quae modo est non est tantae auctoritatis sicut antiqua ecclesia. Et ita Durandus et Driedo intelligunt illud Augustini, *Evangelio non crederem*, etc., de ecclesia quae modo est, sed de ecclesia apostolorum. Itaque insinuant quod ecclesia quae modo est non sufficeret determinare aliquam esse sacram scripturam.

Et idem videtur praetendere dominus Waldensis tomo 1. li. 2. cap. 22; [immo dicit quod sunt aequalis auctoritatis;] immo, dicit unum mirabile, quod ecclesia quae modo est non posset augere nec explicare plures articulos fidei quia iam omnes sunt expliciti, sicut homo qui pervenit ad perfectam aetatem non posset amplius crescere. Nihilominus, quia quaestio haec est valde necessaria et pro isto articulo et pro quaestione 6. ubi dicturi sumus de causa fidei, respondeo hic per aliquas propositiones.

Prima. Comparando apostolos ad sacram scripturam quantum ad auctoritatem, ut comparat Driedo, nulla est comparatio; id est, nihil est dicere quod sint aequalis auctoritatis. Nam eadem est omnino auctoritas apostolorum et sacrae scripturae, sicut eadem est auctoritas alicuius hominis et assertionis suae. Nam scriptura est assertio apostolorum, nec scriptura habet auctoritatem nisi quam habent apostoli in quantum apostoli. Poterat enim apostolus errare, quia poterat peccare venialiter, ut forsitan peccavit Petrus in observatione legalium.

Sed in quantum conditores scripturae non poterant errare. Et ideo quando comparamus ecclesiam ad sacram scripturam non habemus in ecclesia includere apostolos; immo, idem est comparare ecclesiam ad sacram scripturam et comparare ad apostolos. Sed debet accipi ecclesia seclusis apostolis pro ecclesia quae non potest condere scripturam. Diximus quod soli apostoli per immediatam revelationem possunt condere scripturam. Sed ecclesia seclusis apostolis, quia non recipit immediate revelationem, non potest condere scripturam, sed potest determinare articulos quatenus sequuntur ex sacra scriptura. Et de auctoritate huius ecclesiae loquimur.

2<sup>a</sup> conclusio. Accipiendo ecclesiam isto modo seclusis apostolis, non potest sustineri opinio [fol. 67r/296r] Abulensis; videlicet, quod ecclesia sit maioris auctoritatis quam evangelista. Videtur enim quod Abulensis accipiat ecclesiam ut distinguatur contra apostolos postquam comparat illas ad evan-

gelistas. Nam auctoritas apostolorum est auctoritas divina. Et scriptura sacra quae esta assertio apostolorum est assertio ipsius Dei. Quare illa est summa auctoritas. Imo nec Deus est maioris auctoritatis quam ipsa scriptura.

Et hoc significat redemptor noster Matth. 24.: Caelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Comparavit auctoritatem scripturae 1. Tess. 2., Accepistis non verbum hominis, sed ut vere, etc., ubi dicit rebus firmissimis quae sunt in universo. Et Gal. 1.: Si nos aut angelus de caelo evangelizet vobis praeter quam quod evangelizaverimus vobis, anathema sit. Quasi dicat: Si nos ipsi apostoli et omnes angeli de caelo et a fortiori totus mundus dixerit oppositum illius quod nos praedicamus, non debemus credere.

Unde ad argumentum Abulensis respondemus quod evangelistae non habent auctoritatem ab ecclesia sed a Deo. Nec credimus illis quia ecclesia praecipit, sed quia Deus praecipit. Et ad argumentum: Si ecclesia non diceret hoc esse evangelium Iohannis vel Matthaei, ego non crederem dictis, ergo auctoritas evangelistarum est ab ecclesia. Concesso antecedenti negamus consequentiam. Volo dicere quod ecclesia solum est causa quia ego credam haec esse dicta evangelistae. Sed postquam credo quod iste est evangelista, non credo dictis eius quia praecipit ecclesia, sed ex habitu inclinor ad assentiendum dictis eius tamquam dictis Dei.

Itaque si postquam ego credidi quod haec sunt verba Iohannis praeciperet ecclesia per impossibile quod Verbum non<sup>25</sup> caro factum est, nullo modo obedirem ecclesiae, sed crederem Iohanni. Exemplum, sicut si esset papa coram me quem ego non cognosco, et quidam homo plebeius diceret mihi, Hic est papa Paulus, postea non crederem distis papae propter illum plebeium hominem, sed propter auctoritatem papae licet crederem hunc esse papam propter illum hominem. Et hic est sensus auctoritatis Augustini: *Evangelio non crederem*, etc.; id est, non crederem evangelio nisi ecclesia diceret hoc esse evangelium. Sed inde non sequitur quod auctoritas evangelistae vel scripturae sit ab ecclesia.

Sed dubium est e converso, utrum scriptura vel apostoli sint maioris auctoritatis quam ecclesia seclusis apostolis, ut vult dominus Caietanus. Sit 3<sup>a</sup> propositio, quod auctoritas utraque est divina licet auctoritas scripturae et apostolorum sit immediatior quam auctoritas ecclesiae, nam ecclesia in determinationibus fidei innititur sacra scriptura et auctoritate apostolorum.

4<sup>a</sup> conclusio. Eadem specialis haeresis esset negare auctoritatem ecclesiae quae nunc est et concilii legitime congregati et negare propositionem evangelii. Probatur quia etiam illud quod concilium determinaret esset reve-

---

<sup>25</sup> Non. Falta en el manuscrito.



latio divina licet mediata. Idem enim est quod Deus per apostolos immediate revelet scripturam et per scripturam revelet concilio explicationem alicuius articuli licet gravius peccatum in eadem specie negare propositionem evangelii aut Pauli.

5<sup>a26</sup> conclusio. Aliquo modo posset dici maior auctoritas scripturae quam ecclesiae; id est, immediatior. Sic dicit Aristoteles 1. post. quod credimus magis principiis quam conclusioni; id est, immediatius.

Nihilominus est ultima conclusio. Quod simpliciter et absolute non potest dici maior postquam utraque est a Deo. Nam quod sit mediatio vel immediatio parum facit postquam est tam de fide quod ecclesia non potest errare sicut evangelium licet haeretici negent.

Et sic habemus quod ecclesia [potest condere articulum fidei et obligare nos ad credendum sicut sacrae scripturae. Et non solum ecclesia antiqua apostolorum sed ecclesia quae modo est. Nam in concilio nicaeno iam non erat apostolus, et tantam auctoritatem modo sicut concilium nicaenum est. Ad illud verbum Waldensis; scilicet, quod ecclesia iam modo non potest iam condere novos articulos, respondendum est quod intelligitur quia iam non expedit nisi erit necessitas, quia in tanto tempore verisimile est quod omnes sunt iam expliciti, sed non negaret quin si occurrerit necessitas, posset etiam nunc explicare novum articulum].

### 3. Bartolomé Carranza

a) ROMA. Biblioteca Apostolica Vaticana. Vat. lat. 4645 (1540-1541)

[fol. 9r] [...] Ar. 10<sup>us</sup>: an ad sumum pontificem pertineat symbolum fidei ordinare. Conclusio d. Th. est affirmativa, quod ad sumum pontificem spectat fidei symbolum ordinare. Probat quia ad sumum pontificem pertinet determinare. Ergo ea que sunt de fide. Ergo etc. Lege literam.

In hoc articulo d. Th. movet multa dubia theologalia. Ita nos movebimus aliqua dubia. Primum est an ecclesia tota in traddendo ea que sunt fidei erret aut possit errare. 2<sup>um</sup>. Utrum etiam possit errare. 3<sup>um</sup> erit id quod d. Th. movet, utrum sumus pontifex in condendo symbolum, in determinando ea que sunt fidei, erret vel possit errare. 4<sup>um</sup> erit an regula infalibilis fidei et rerum pertinentium ad religionem christianam sit volumen sacrarum literarum aut concilium generale. 5<sup>um</sup> erit an auctoritas pontificis sit supra auctoritatem concilii vel contra, vel potestas pontificis et concilii sint aequales. Hec definienda sunt in hoc articulo.

<sup>26</sup> Ms. 4.<sup>a</sup>

[fol. 9v] Pro diffinitione horum debetis consulere primo Caye. in duobus opusculis. Item Almain disputat de hoc. Item cardinalis de Turrecremata in volumine de suma ecclesie et in decretis. Isti consulto ista disputarunt. Omnes alii obiter attingerunt.

Ad primum dubium an ecclesia possit errare, primo notanda sunt vocabula<sup>27</sup>. Ciprianus dis.<sup>28</sup> 4. questione prima et Hieronimus dis. 93, dicunt quod ecclesia est nomen grecum. Idem est ecclesia et synagoga. Apud graecos idem sunt. Apud latinos autem ecclesia idem est quod congregatio et multitudo. Etiam locus ubi multitudo convenit vocatur ecclesia. Hinc vocatur concionator, ecclesiastas. Accipitur ergo ecclesia pro congregatione hominum bonorum sive malorum. Christiani autem acceperunt ecclesiam pro cetum fidelium membrorum Christi, non per cetum fidelium et infidelium. Si queras differentiam inter ecclesiam et synagogam, Isidorus lib. 8 ethimologiarum dicit quod synagoga est congregatio, ecclesia autem convocatio. Homines tamen convocantur, pecora autem congregantur. Sed parva est differentia inter hec duo vocabula. Sed non sine misterio dominus Christus semper usurpavit<sup>29</sup> ecclesiam pro congregatione specialium fidelium. Non autem vocavit hanc congregationem fidelium synagogam. Sed in veteri testamento synagoga appellabatur congregatio hominum credentium in unum deum.

2° subnascitur aliud, an ecclesia sumenda sit pro congregatione iustorum tantum sive pro congregatione iustorum et iniustorum. Ad hoc respondetur quod Pau. aliquando visus homines iustos tantum vocare ecclesiam ita quod si desinat esse iustus, non est membrum ecclesie. Sed raro isto modo accipitur. 2° dico quod frequentius accipitur ecclesia pro congregatione iustorum et iniustorum. Ita habetur apud Matheum cap. 25<sup>30</sup>: Simile est regnum celorum decem virginibus, 5. erant fatue et 5. prudentes. Regnum caelorum dicitur ecclesia et sic accipimus pro congregatione iustorum et iniustorum.

3° est dubium an heretici in hac significatione sint de ecclesia. Et videtur quod sic. Patet quia Pau. dicit: Se his qui foris sunt non iudicat ecclesia, sed ecclesia iudicat de haereticis, ergo non sunt extra ecclesiam. Item haeretici sunt baptizati, ergo pertinent ad ecclesiam.

Item 4° Summus pontifex potest esse haereticus, sed non desinet esse caput ut postea dicemus, ergo quilibet alius haereticus non desinet esse membrum.

---

<sup>27</sup> Sigue palabra tachada.

<sup>28</sup> Sigue letra tachada.

<sup>29</sup> Sigue palabra tachada.

<sup>30</sup> Ms. 13.

[fol. 10r] In contrarium quia haeresis significat divisionem et sectionem. Ergo si haeretici sunt scisi, non pertinebunt ad corpus ecclesiae. Item quia Math. dixit Dominus: Si ecclesiae non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Sed ethnici et publicani non pertinent<sup>31</sup> ad ecclesiam, ergo etc. Item quia Pau. ad Ephe. 4 dicit quod tribus rebus continetur ecclesia: in uno capite, in una fede, in uno baptisate, in Deo, sed non convenitur in unitatem capitis inter ecclesiam et haeticum, ergo, etc. Confirmatur quia de sumna trinitate et fide catholica in cap. firmiter dicitur: Una est fides ecclesie extra quam non est salus. Ergo haeretici non sunt de ecclesia.

Ad hoc dubium respondetur quod in usu sanctorum doctorum est et ecclesie universalis vocare hereticos exclusos ab ecclesia. Ita d. Ciprianus in epistola ad Rogatianum. Idem inquit d. Hieronimus. Item probatur ratione quia illi non conveniunt nobiscum et non sunt catholici. Ergo non sunt de ecclesia.

Est etiam dubium an excommunicati sint de ecclesia. Et videtur quod non, nam excommunicatus idem est quod membrum precissum ab ecclesia. Ergo etc. Ad hoc respondetur quod excommunicati non sunt ita exclusi ab ecclesia sicut haeretici quia excommunicati tantum sunt exclusi a communione sacramentorum et aliis. Sed appellantur catholici. Ergo sunt de ecclesia.

His suppositis respondetur ad primum dubium, an ecclesia potest errare. Dico quod communis sententia est quod ecclesia non errat, nec potest errare, ita quod et quidquid diffinierit tanquam de fide erit verum. Probatur quia ecclesia in sacra scriptura vocatur corpus Christi. Hoc habetur in cap. 4 ad Ephe. Item habetur 2 Cori. 10. Sic arguitur. Est corpus Christi. Ergo Christus est caput. Ergo gubernatur a capite. Ergo. Sed caput non potest errare. Ergo nec ecclesia. Dicit aliquis quod in principio nascentis ecclesiae ita fuit, quia omnes christiani erant unius spritus et erant omnes sancti, et ita omnes regebantur ab Spiritu sancto, modo autem quia pessimi sunt christiani non reguntur a Christo. Sed probatur quod modo ecclesia regitur a Christo, quia semper manserunt aliqui qui viri non curvaverunt genua ante Baal<sup>32</sup>. Ergo reguntur a Christo. Item probatur<sup>33</sup> Mathe.: ego vobiscum sum<sup>34</sup> omnibus diebus vitae vestrae. Hoc testimonio utitur Leo pontifex sanctissimus in epistola ad Augustam 14, et ad Theodoram epistola 69 utitur ejusdem testimonio ad hoc probandum. [fol. 10v] Item Iulius dicimus<sup>35</sup> in probatione istius veritatis adducit illud Ps.: Circundate Sion, etc., quoniam

<sup>31</sup> Ms. pertinet.

<sup>32</sup> Ms. vaal.

<sup>33</sup> Sigue palabra tachada.

<sup>34</sup> Ms. sunt.

<sup>35</sup> Ms. decimus.

hic est deus noster in eternum, non ad tempus. Item probatur ex Esai. cap. 4<sup>o</sup>. Lege caput.

Item probatur 2<sup>o</sup>. Ecclesia vocatur a Christo sponsa. Sed inter sponsum et sponsam omnia sint communia, ut dicitur in Canticis: Soror mea, columba mea, hortus conclusus, fons signata, etc. Ergo. Sponsa regitur et gubernatur ab sponso. Ergo non potest errare. Pau. ad Ephe. 5. ponit istam analogiam: Viri, diligite uxores vestras sicut Christus dilexit sponsam suam ecclesiam. Item ad Hebre. 10: Una oblatione consumavit in eternum consumatam. Ergo etc.

3<sup>o</sup> usus est in evangelio ecclesiam vocari regnum caelorum. Sed regnum celorum debet gubernari a rege. Rex autem est Christus. Ergo non potest errare.

4<sup>o</sup> probatur testimoniis aliis scripturarum. Joa. 14: Ego rogabo patrem et alium pa. dabit vobis qui maneat vobiscum in eternum, etc. Item cap. 17.: Pater, quos dedisti mihi conserva eos in nomine meo; cum ego essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo. Ergo ecclesia non potest errare cum semper in eternum regatur ab Spiritu sancto. Item Ioa. 16<sup>36</sup>: Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo; cum autem venerit Spiritus veritatis, docebit vos illa. Ergo etc.

Item est testimonium appertissime annotatum 1. <sup>37</sup> ad Tim. <sup>38</sup> cap. 3.: Haec est ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis. Ergo si est columna et fundamentum, ecclesia non potest errare. Ergo non potest errare. Item est articulus fidei in symbolo: Credo sanctam ecclesiam, sanctorum communionem. Credere sanctam ecclesiam est credere quod in his sit congregatio fidelium qui credant in Deum et Iesum Christum salvatorem, que congregatio regitur ab Spiritu sancto.

Item adducunt aliqui illud Math. 7.: Similabo eum viro sapienti qui construit domum suam firmam petram. Ex hoc sic arguitur: Christus fuit vir sapientissimus, ergo fundavit<sup>39</sup> suam ecclesiam supra fidem firmissimam petram. Ergo quibuscumque ventis et procellis concurrant non obruentur. Ait enim Petro: Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Si ergo in fide deficeret, caderet. Ergo etc. <sup>40</sup> Sed hoc testimonium Matthaei non multum probat quia non est simile de Christo et de viro de quo<sup>41</sup> loquitur parabola illa, etc.

---

<sup>36</sup> Ms 12.

<sup>37</sup> 1. Falta en el ms.

<sup>38</sup> Ms. Thi.

<sup>39</sup> Ms. fundabit.

<sup>40</sup> Sigue palabra tachada.

<sup>41</sup> Quo. No está en el manuscrito.

b) Prima controversiarum, pp. 691a-693b (1546)<sup>42</sup>.

[p. 691a] Prima controversiarum. Quanta autoritas tribuenda sit consuetudinibus Ecclesiae quae per manus ad nostram usque aetatem durarunt, ab Apostolis, et antiquis Patribus, an sit certa Regula Ecclesia, sive Ecclesiasticae traditionis autoritas.

Pro intelligentiae primae Controversiae, ab ipsa nominis notione exordium est. Ecclesia latine multitudinem, coetum aut conventum significat. Graeca enim vox est: multitudo filiorum Israel, Graece dicitur ecclesia filiorum Israel. Aliquando locus ipse ubi convenit multitudo dicitur ecclesia. Hic ecclesiastes dicitur concionator. Isidorus in etymologiis vult distinguere inter Synagogam et Ecclesiam, quia synagoga dicitur a congregatione, Ecclesia vero a convocatione. Convocantur soli homines, congregantur etiam et bruta. Non puto haec dicta secundum proprietatem vocabulorum, nam Graeci permiscue utuntur utraque voce, pro quacumque multitudine conciliata in una aliqua societate. Hinc usurpatum est nomen ecclesiae in scripturis et ecclesiasticis scriptoribus ad designandam societatem hominum convenientium in fide cultuque Dei ac eadem religione ad finem supernaturalem comparandum. De quibus consule Hiero. d. 93. Cypria. 24. q. 1.

Sed quoniam est vera et falsa religio, hinc necessario duplicem esse dicimus ecclesiam, sanctam scilicet ecclesiam, quae rectam de Deo fidem servans vera religione Deum verum colit, et adorat, et ab eo solo solum suam expectat, et aliam ecclesiam quae in omnibus non ita sincere, et recte sentit ut illa, sed est ubi aberret, appellaturque ecclesia Sathanae, quam sacrae literae ecclesiam impiorum et malignantium appellat. Illa vero prior simpliciter et sine addito ecclesia vocatur. Ista sunt duae illae civitates mysticae, signifiatae per duas illas civitates, quarum alteram aedificavit Abel, alteram Cain, de quibus August. late in libris de civitate Dei.

Ad horum clariorem notitiam annota quod Dei ecclesia una est, et catholica, quam profiteamur juxta symbolum Nicaenae synodi, una inquam nullo tempore conclusa, nullo certo loco, nulla natione aut genere, nullo denique populo determinata, sed ut est generalis, sic palmites suos in orbem universum per tempora quaelibet praeterita et praesentia et futura extendit, et quae a fornicatione Adae primi hominis ad finem usque saeculi eadem fuit, et est, et erit semper, sub uno capite conditore generis humani redemptore filio Dei.

<sup>42</sup> Cf. CARRANZA, B., *Quattuor controversiarum de auctoritate ecclesiae, de auctoritate scripturae sacrae et de auctoritate pontificis et conciliorum explicatio. Juxta editionem venetam 1544* [Ad sacrosancta concilia a Ph. Labbeo et G. Gossartio edita apparatus alter. Venetiis (1728), t. 23].

Habuit haec ecclesia suum initium in primis illis parentibus, deinde per aetates crevit, habuit progressus, et incrementa sua, usque ad hanc diem, ut recte possis dicere ab initio suo, usque ad tempora Noe habuisse infantiam suam: quo tempore quam pusilla et modica fuerit, haec nostra catholica Dei Ecclesia, ut merito possimus intelligere, infantiam tunc agere, satis indicat [p. 691b] et sacra ipsa et aliorum scriptorum historia. A Noe vero usque ad initium Abrahami, et sub Abrahamo usque ad Mosem habuisse pueritiam suam: sub Mose vero egit adolescentiam: et sic in adolescentia accepit a Deo paedagogum et legen ad coercendas transgressiones, et ut quadam paedagogia duceretur ad Christum, ut testatur Pau. Lex paedagogus ad Christum [Galat. 4.]: et ita umbris caerimoniarum et multiplicibus figuris erat ibi adumbrata veritas Evangelii, quo circa non poterant filii Israel primum intendere in apertam revelatamque faciem Mosis, hoc est, in nudam claramque veritatem eorum, quae per Mosem figuris illis significabantur, sed necesse habebat velare faciem suam, quotiens conspectu et colloquio divino prodibat ad populum.

Plus enim fidei lucis acceperat tunc ecclesia sub Mose quam unquam ante acceperat; sic enim loquitur Dominus de prioribus patribus. Abrahamo, Isaac, et Jacob: Nomen meum tetragramaton indicavi etis, significans se illud Mosi prae aliis indicasse, cui loquebatur facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum, quod minime fecit cum aliis.

De ea ecclesia dicit Apostolus [Galat. 4]; quanto tempore haeres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit Dominus omnium, sed sub tutoribus et actoribus est usque ad praefinitum tempus a patre. Ita tunc adolescens erat ecclesia et sub tutoribus aegens: adolescentiae vero solent adhiberi paedagogi et magistri. Ab adolescentia transitur ad juventutem, hanc aetatem egit ad inducto populo Israelitico in terram promissionis per Josue, et sequens Judices, et per Reges et Prophetas educator usque ad adventum Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, quo tempore quamvis a paedagogi cura non sit exempla, clarissimas a Christo ejusque ecclesia et regno universique nostrae fidei mysteriis per David, Esai., reliquosque Prophetas revelationes accepit.

At ubi venit plenitudo temporis, ut inquit Apostolus [Galat. 4], misit Deus Filium suum natum ex muliere, natum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret. Nam lex (ut dicimus) paedagogi tantum defuncta officio neminem ad perfectionem adduserat, nulum salvaverat, at Christus ubi venit etiam dudum de crucis patibulo coruscabat Evangelium, velut illud veteris testamenti scissum est, jam legis addita et recondita patuerunt, et velamen illud positum super aciem Mosis abtulit, et claram illam Evangelicae lucis veritatem sub ritibus, et caerimoniis obtectam et inclusam palam toti mundo

manifestavit, quam ecclesiam complectis nostrae Redemptionis mysteriis [p. 692a] deleto chirographo illo, quod adversus nos erat, crucique affixo, reversus Christus ad Patrem, Apostolorum suorum mysterio ex omne gente quae sub caelo est, talem ibi congregavit et construxit ecclesiam, qualem in veteri illa Synagoga et tabernaculo et sacerdotio figurarat et odumbraverat. Nam omnia illa figuram fuisse nostrae ecclesiae passim traditur a Paul.

Vides Christiane Lector, quomodo una est catholica Christi ecclesia, non diversa ab illa veteri, utramque connectente illo angulari lapide Christo Jesu. Est igitur una y quodammodo diversa est vetus illa, sed novata a Christo, per Apostolicos viros propaganda: donec in gloria suo capiti sine macula et sine ruga coronanda copuletur, quae propter novum statum et ordinem quem a Christo assumpto accepit, in infrequenter ab ecclesiasticis scriptoribus dicitur nova et diversa ecclesia a priori, et ortum habuisse ab Apostolorum collegio.

Una est igitur Christi ecclesia, sed quo vinculo in unitatem ecclesiae catholicae coligentur Christi fideles, ipisus ecclesiae membra, id nunc est expediendum. Vetus controversia est, apud quod fit ecclesia vera. Tempore Augustini Dominus Afer dixit quod apud eos solum esset ecclesia: contra clamabat Augustinus. Vocati Donatistae dicebant, quod sola charitate et gracia colligarentur fideles in Ecclesia. Post alius Apostolus Sathanae Johannes Hus, quod sola gracia praedestinationis colligaretur Christi corpus, ita ut non tantum peccatores, sed nec praesciti existentes in gratia pertinerent ad ecclesiam. Lutherani nunc sic diffiniunt ecclesiam: est congregatio iustorum ver credentium.

Horum omnium intellegere nequeo impia magis an stultior sit assertio. Utorsque aperte damnavit Christus suo ore, qui dixit: Simile est regnum caelorum saganae missae in mari quae bonos pisces et malos contineret [Matth. 25]. Rursus et in parabola nuptiarum servi egressi in vias congregaverunt omnes quod invenerunt bonos, et malos, et impletae sint nuptiae discumbentium. Et iterum Matthaei 25: Simile et regnum caelorum decem virginibus, quarum quique erant prudentes, quinque erant fatuae. Quibus parabolis regnum caelorum, hoc est, ecclesiam suam nobis Christus declaravit, nec minus illud ipsum demonstravit Dominus, Matth. 17. Cum peccantem in nos fratrem jussit denunciati ecclesiae, et contumacem et inobedientem, extra ecclesiam fieri. Et Apostolus in domo magna ecclesiae non solum vasa aurea, et argentea, sed lignea, et fictilia, esse praedicat: quaedam in honorem, quaedam in contumeliam [2 Tim 2].

Ex quibus colligitur, et justos et peccatores ad Christi ecclesiam pertinere, nam et Judas ministerum Apostoli habebat in ecclesia, cum

esset sceletratus et malus. Ideo peccatores non sunt extra ecclesiam, sed adhaerent suo capiti, saltem sicut paleae tritico, ut significanter dixit August. 7 contra Donatistas.

Secundo colligitur Paganos ad ecclesiam non pertinere, cum Paulus dicat eos esse foris. De haereticis autem disputatur a recentioribus Theologis, an pertineant ad ecclesiam. Nam apud veteres non vertebatur in dubium, cum Cyprianus dicat in epistola ad Rogatianum, eos esse egressos de ecclesia et altare profanum foris collocasse. [p. 692b] Ad eum modum loquitur et Hiero. Sed disputatur, quoniam utrinque sunt rationes non inapparentes.

Primo Paul. dicit, de his quae foris sunt non iudicat ecclesia, sed iudicat de haereticis, ergo non sunt extra ecclesiam. Secundo haeretici tenentur legibus ecclesiasticis, ergo pertinent ad ecclesiam. Tertio sunt baptizati, et deferunt characterem Christi, ergo, etc.

Sed his non obstantibus, respondetur. Haeticos, et schismaticos esse sectos et divisos a corpore, hoc signat nomen schismaticus Graece, et idem haeretici, hoc est diversa loquentes, et non uniti ecclesiae. Secundo sic habet sententia doctorum, et universalis ecclesiae, haeticos esse separatos ab ecclesia. Tertio Paul. ad Ephes. 4 inquit quod his tribus rebus continetur ecclesia, et colligantur ejus membra, puta uno Domino, una fide, uno baptisate, uno Deo, qui et est pater omnium, etc. Sed non est convenientia inter haeticos et ecclesiam in unitate capitis fidei et sacramentorum; ergo, etc. Quarto c. firmiter de summa Trinit. etc. dicitur: una est ecclesia extra quam nemo salvatur, et haeticos non posse salvari quia sunt extra ecclesiam; ergo, etc. Ad objecta in oppositum facile respondetur: propter susceptam religionem jus habet in alios ecclesia.

Est et aliud quod ab eisdem disputatur, an excommunicati sint extra ecclesiam. Videtur quod sic, quia idem est, excommunicatum esse, quod rejectum et praescissum a corpore Christi, ergo sicut haeretici sunt extra ecclesiam, ita et excommunicati.

Respondetur quod non sunt extra ecclesiam sicut haeretici, quia dumtaxat excluduntur a communione bonorum ecclesiae et gratiae, quia pia mater ecclesia suarum clavium potestate, membra quaedam arida intus mortua, et a spiritu vitae separata rejicit, et excludit a communione sui corporis, quod medicinali quadam paena sit ita bonum ejus, qui excluditur, vel aliorum membrorum, cum alioqui habeant integram fidem, et sint catholici.

Ex his colligit quo vinculo colligentur Christi fideles in unitatem ecclesiae catholicae. Ipsum est quod est annotatum a Paul.: unus Dominus, una fides, unum baptisma, hoc est, in unitate fidei et sacramentorum.



His praemissis, respondetur ad primam controversiam. Primum principium. Certum et infallibile ex quo potest demonstrari aliquid esse verum et indubitato tenendum in fide et religione Christiana, est, sine aliquo scripto ecclesiastica traditio et universalis ecclesiae communis definitio. Bifariam accipiunt aliquid fideles ab ecclesia. Primo per traditionem et eam antiquatam sine aliquo scripto, ut de baptismo parvulorum refert Origenes. Secunda per definitionem in scripto, ut de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio in conciliis definita.

Hanc regulam eripere conantes haeretici adeo confusa, dubia, incertaque reddunt omnia, et nec [p. 693a] ipsa scripturae autoritas (quam volunt esse certam regulam fidei) illis certo constare possit. Quocirca demonstratur conclusio sic. Sed potius sunt hae claves asumendae.

Prima clavis. Religio, fidesque christiana ad supernaturalem hominis finem spectat, et propterea lumen humanae rationis excedit, et ab alio supernaturali lumine dependet, puta a Deo ipsi revelante et testificante. Haec omnia omnibus sunt indubitata. Ex quibus colligitur secunda clavis.

Soli divinae infallibilique veritati innitur fides nostra et religio, quae divina veritas hominibus suum finem, ad quem conditi sunt, et media, quibus ad Deum pervenire debeant revelare et ordinare dignata est: quoniam ad utrumque per se infirma est humana natura. Hoc est igitur primum nostrae fidei et religionis principium certum et infallibile, divina veritas quae ne falli potest, nec fallere, ad quam reducere oportet, quaecumque tenemus ad fidem religionemque pertinentia. Ex quibus principiis colligitur fidei conclusio.

Si omnes vocem audiremus nobis intus, aut dextra loquentis Dei, et docentis necessaria cognitu, certique essemus Deum esse, qui intus nobis loqueretur, aut extra, nihil dubitaremus Deo testificante credere, nec incideret in controversiam quod ad fidem religionemque nostram certo pertineret, quoniam omnia et sola illa rederemus necessario tenenda, quae certo a nobis constaret a Deo revelata. Sed non semper per se ipsum nobis omnibus loquitur Deus, nec per se docet, aut proponit necessaria omnia, quae vult nos credere, ideo multae frequenter in ecclesia incidunt ambiguitates et fluctuationes.

Ergo necesse est aliam habemos regulam infallibilem, ad quam necessario reducendum sit quidquid ad fidem religionemque nostram certo pertinere, oportet credi. In qua reductionem ad ipsius fidei nostrae meritum et profectum, difficultatem nonnullam inesse voluit divina providentia, ut nonnihil ad fidem prius cooperaretur affectu, nam Deo ita nobis palam loquenti testificante quis posset non credere? Deinde ferme compulsus crederemus, ut daemones qui credunt et contremiscunt.

Vel statim crederemus ut Thomas, cui nolenti credere condiscipulis tustificantibus se vidisse, viventem Dominum, nisi ipse suis oculis inspexisset, et manibus tractasset, dixit Dominus: quia vidisti me Thoma credidisti. Beati qui non viderunt et crediderunt [Joan. 2]. Non pronuntiavit Thomam beatum (sicut antea Simonem credentem, et confitentem cum esse Christum filium Dei vivi) sed eorum fidem beatitudinis praemio dignam praedicavit, qui non videntes crediderunt, sed Thomae dixit, tu credis quia vidisti et palpasti, nihil magnum facis: illi demum beati erunt, qui non videntes, in me crediti sunt.

Hi sunt, qui nunc ecclesiam catholicam audientes credunt quae ab ea in scripturis, vel sine scripto aliquo traduntur. Cum ergo immediate Deus nobis non loquatur, sicut olim fecit prophetis, hanc ecclesiam debemus habere pro infallibili regula, per quam regulari debent, quae ad religionem nostram pertineant. Ergo haec debet esse prima et infallibilis regula rerum ad fidem pertinentium, et eorum etiam quae per scripturas nobis traduntur, et ipsarum scripturarum.

Haec ecclesia quae nobis proponit quae ad religionem pertineant, immediate et regitur, et docetur a Christo, ergo non potest falli. Patet antecedens, quoniam ipsa est, et vocatur Corpus Christi, et Christus caput ecclesiae, et est futurum perpetuum caput illius: ergo necesse est corpus ab illo regatur, [p. 693b] et ipsum caput influat in membra, ergo non magis potest falli quam ipsum caput. Quamvis aliqua membra etiam praecipua, ut aprelati sint mali, in propositione tamen eorum non reguntur suo sensu, sed alieno.

Item ecclesia vocatur et est sonsa Christi, ut in Canticis cap. 4: Sponsa mea, hortus conclusus, fons signatus, etc. Si ergo Christus habuit hanc sponsam, et non fuit bigamus assumens aliam, necesse est perpetuo regatur ab illo. Ad Ephe. 5.: Mulieres viris suis subditae sint, sicut Domino, quia vir caput est mulieris, sicut Christus caput est ecclesiae, et sicut ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres etc. Et ibi, sic Christus dilexit ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, etc. et infra. Nemo carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus ecclesiam. Deinde de viro et uxore. Erunt duo in carne una, sacramentum hoc magnum est: eo autem dico in Christo et ecclesia.

Vides quomodo et nutritur, et fovetur ecclesia Christi a Christo, sicut a te tua caro. Hunc fontem signatum relinquentes haeretici, fecerunt sibi cisternas etc. [Hiere. 21] Et<sup>43</sup> idem pollicitus est Dominus: Ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi [Matth. 28]. Et Apostolus de eadem 1. Timot. 3: Ecclesia Dei, quae est fundamentum et columna veritatis

---

<sup>43</sup> Texto: e.

etc. Item Joannes 14: Ego rogabo Patrem et alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, ille vos docebit omnia. Non relinquam vos orphanos, etc.

Hoc promisit cunctis fidelibus, quia cap. 17. inquit. Pater non tantum pro eis rogo, sed pro his, qui credituri sunt per eos, etc. Unus paracletus fuit Christus, quo cum fidelibus conversante ecclesia non potuit errare, loco sui missus est Spiritus sanctus alter paracletus, quo regente et docente atque non potest aeque errare quam cum regeretur a Christo: ergo nec nunc cum regatur et doceatur ab eodem.

Item Matth. 16: Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalent adversus eam. Relativum, eam, omnes referunt ad ecclesiam, etc. Sed haec est illa ecclesia, quam Dominus fundavit supra illam petram, et Petrum illum Simonem confitentem Christum Filium Dei vivi.

Ejusmodi testimoniis demonstrarunt hanc veritatem successores Petri Leo primus atque sanctus et doctus ad Augustam epistola 14 et ad Theodoram epistola 69. Et Julius I in suis decretis, adducens illud ex Psal, 47: Circumdate Sion et complectimini eam. Postremo est articulus in symbolo Nicaenae fidei. Credo sanctam ecclesiam, et sanctorum communionem. Credere sanctam ecclesiam est credere, quod in terris est congregatio fidelium, quae regatur ab spiritu sancto, et quae totam spem suam figit in unum Christum.

De his tractarunt recentiores latissime, Cardinalis Cajetanus duobus opusculis, item Cardinalis de Turrecremata in volumine de summa potest. Ecclesiae. Joannes Driedo. de ecclesiasticis dogmatibus, li. 4. ca. 2. Et novissime Albertus Campensis in primo lib. ecclesiasticae hierar.

Sic igitur primum principium rerum ad religionem pertinentium, Ecclesia, sive ecclesiastica traditio per scripturam, vel per antiquatum usum citra aliquam scripturam, Per haec potest patere ad primam Controversiam.

#### 4. Melchor Cano

a) BARCELONA. Biblioteca de San Cugat. Ms. B, fols. 9v bis (1543-1544)

[fol 9 bis v] [...] Articulus 10. An pertineat ad summum pontificem fidei symbolum condere. Conclusio affirmativa. Ad solam auctoritatem summi pontificis pertinet nova editio symboli. Probat tripliciter. Quia ad Deum pertinet finaliter determinare ea quae sunt fidei 24. q. 1, cap. quoties, et 8<sup>a</sup>. d. cap. urbes, et cap. maiores de baptismo et eius effectu. Probat 2<sup>o</sup> Lucae 22: Ego rogavi pro te, etc. 3<sup>o</sup>. Quia alias orirentur scandala. Ultimo. Quia caetera ad ecclesiam pertinentia pertinent ad pontificem. Ergo et fidei symbolum proponere.

Hic primo quaeri potest. Primum, an in ecclesia sit alia auctoritas infallibilis veritatis. Et circa hoc an ecclesia possit errare in his quae pertinent ad fidem. Item, an haeretici sint de ecclesia militate Christi. Et an excommunicati an sint extra ecclesia. Adest demum, an ecclesia pro conventu iustorum solum accipatur. Quae omnia habes prima parte, q. 1. art. 8.

Idem tamen est an possit fides ecclesiae manere in uno solo, an potius necesse sit fidem catholicam in multis perseverare. Ad hoc Alexander in fine sui tertii in expositione symboli apostolorum, dicit quod opinio dicentium in sola Virgine stetisse ecclesiam tempore passionis Christi, in qua sola fides mansit videtur sibi vera. Et Guillelmus in suo rationali divinorum officiorum dicit quod candela quae occultatur in officio matituitinali hebdomadae sanctae significat fidem Christi, quae in sola Virgine remansit, per quam postea omnes fideles docti et illuminati sunt.

Hoc Turriscremata habet lib. 2 suae summae cap. 61. non esse inconueniens concedere; imo, probare nititur multis argumentis omnes discipulos et apostolos errasse in fide. Probatur. Matth. 26: Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte; scriptum est enim, etc. Ubi glossa interlinealis: id est, ab unitate fidei solventur. 2°. Lucae 24. legitur quod verba mulierum annuntiatura apostolis Christum resurrexisse visa sunt eis quasi deliramenta. 3° Marci 16, quod Christus reprobavit incredulitatem eorum. 4° auctoritate Gregorii, Hieronymi atque Augustini, Ambrosii atque Isidori.

Ad hoc dicendum est. Prima propositio. Stultum est [fol. 10r] asserere quod tempore passionis non mansit ecclesiae fides praeter quam in beata María. Probatur primo. Quia inter gentes non est verisimile eo tempore nullum esse qui legem naturae servaret, saltim de parvulis gentium. Id negari non potest. Habebant enim sua sacramenta, quibus parvuli iustificabantur, ut 4°. Sententiarum a theologis definitur. Et confirmatur. Magi, quia adorato Christo rediere in regionem suam, aut nondum non erant omnes defuncti aut non est credibile ab eis neminem esse instructum de fide Christi.

2°. Principaliter arguitur de samaritanis, quorum multi credidere in Christum, nec habet apparentiam quod omnes in illo triduo amiserunt fidem cum non sit verisimile ad omnes famam pervenisse. 3°. Multi iudaei erant dispersi per orbem, ad quos ecclesiae praedicatio non pervenerat, et nulla ratione potest credi omnes tales<sup>44</sup>: iudaeos fidem amisisse. Augustinus expresse tenet hoc super Psalmo 118: Ne auferas de ore meo verbum veritatis. 4°. Cum ecclesia importat collectionem fidelium certe; si unus solus habet fidem, non potest dici fides catholica; id est, ecclesiae universalis quam unus solus tenet.

---

<sup>44</sup> Ms. 108.

2<sup>45</sup> propositio. Dicere quod Petrus amisit fidem et omnes apostoli in passione certe est falsissimum et mihi videtur cum sacris literis pugnare. Et magister Astudillo dicebat esse paene haereticum contrarium. Tamen Hugo Archidiaconus de providentia, dist. prima et contionatores ita solnet dicere. Sed probatur propositio. Lucae 22.: Dominus dicit: Ego rogavi por te ne deficiat fides tua. Non dixit charitas seu confessio fidei, quia haec amisit. Et quod de persona Petri singulariter loqueretur manifeste patet tunc ex eo quod Dominus promisit: Simonem. Simonem ecce. Et deinde: Ego rogavi pro te. Rursus ex eo quod subdit: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Sic Chrisostomus, Theophilactus, et Beda et Ambrosius. Imo, nullum sanctorum ego vidi qui non ita sentiret de hoc loco Lucae.

Et ratio convincit. Quia quaemadmodum alia quae dicta sunt apostolis a Domino, licet in successores transferantur, tamen prius oportebat speciali privilegio Christi in persona Petri verificentur. Probatur Lucae 22 cum dictum esset: Visa sunt eis deliramenta. Quasi vestigio subditur: Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum. Super quae verba Eusebius dicit: Solus enim ipse credidit feminis dicentibus se angelos vidisse. Certe hic est sensus apertus evangelistae. Ideo per adversativam coniunctionem dicit: Petrus autem.

Praeterea Matth. 28 dicitur quod apostoli abierunt in Galileam in mentem ubi constituerat illis Iesus. Et videntes eum adoraverunt, quidam autem dubitaverunt. Quam historiam Marcus plenius explicat cap. ultimo. Quod autem haec dubitatio debeat referri ad tempus quo Christus illis apparuit docet Remigius, Super Matthaeum. Nec est verisimile quod post tot argumenta, post conversationem 40. dierum in die ascensionis dubitaverint. Sed dicit quosdam dubitasse propter incredulitatem, quam Dominus apud Marcum reprehendit.

3<sup>a</sup> propositio. Fides ecclesiae semper in multis manebit. Hoc probatur 4<sup>o</sup>. argumento facto pro prima propositione. Ita 1<sup>a</sup>. Cor. 12.: Corpus non est unum membrum, sed multa. Et ad Ephe. 4<sup>o</sup>. Item Ioannes 14. 15. et 16. loquitur, et Matthaeo ultimo cum multis loquitur Dominus, non cum uno.

Argumenta solum probant quod in confessione fidei defecit Petrus et apostoli, aut in fide vera et firma quae per dilectionem operatur. Et ad hoc potest referri consuetudo illa ecclesiastica extinguendi omnes cereos excepto uno, quia ex his quae Christo committebantur omnes habuere fidem extinctam et mortuam excepta beata Maria. Citatur Augustinum in Psalmum: Saepe expugnaverunt me, dicens aliquando in solo Abel ecclesiam fuisse, quod tamen solam credebat.

---

<sup>45</sup> Ms. 2<sup>a</sup>. 2<sup>a</sup>. Repetición.

Item, quia cum Abel occissus erat, iam alii homines erant. At bene Caietanus adnotat, alias non diceret Cain: Quicumque invenerit me occidet me. Sed est Augustinus intelligendus quod solus tunc unus fidelis iustus describitur in sacra pagina, nam Adam et Evam [fol. 10v] peccatores reputat. Ideo dicit in solo Abel fuisse ecclesiam, quemadmodum apostolus ad Hebraeos ait Melchisedech sine patre, sine matre esse, non quod parentes non habuerit, sed quia expressi in sacra scriptura non fuerint, etc.

At vero erit dicendum circa argumenta quae prima parte adducta sunt ad probandum ecclesiam non posse errare, nihil aliud probare videtur nisi quod fides nunquam deerit in ecclesia. Quo tamen admissio poterit ecclesia invincibiliter ignorare quidquam esse a Deo revelatum. Nec propter hoc amittet fidem. Verbi gratia aliquando fuit dubium an beata Catharina Senensis habuerit stigmata Domini in corpore, et definivit pontifex quod post Paulum praeter beatum Franciscum nullus illa habuit. Quid vetat quod ecclesia id teneat firmiter, etiamsi nunquam a Deo fuerit revelatum?

Est aliud exemplum. Beatam Mariam non fuisse conceptam in peccato originali supponimus pro nunc non esse revelatum a Deo<sup>46</sup>. Poterit ecclesia id tenere esse a Deo revelatum et determinare ab omnibus catholicis id esse tenendum. Et tamen in hoc falleretur, non tamen faceret fidei iacturam cum invincibiliter ignoret an Deus id revelaverit.

Hoc dictum motum est propter cardinalem Turremcrematam, qui 2º libro suae summae ecclesiasticae cap. 91 tenet ecclesiam in fede et in moribus non posse errare esse accipiendum ut intelligamus ita assistere ecclesiae usque ad saeculi consumationem, ut nunquam vera fides deficiat in ea. Nullum enim erit tempus in quo non sint aliqui habentes fidem veram per dilectionem operantem. Et ita glossa intelinealis in id: Portae inferi non praevalent adversus eam. Videtur intelligere dicens; id est, non separabunt eam a charitate mea et fide.

Et s. Thomas in 4 dist. 6. sic intelligit id: Ego autem vobiscum sum, etc., quia videlicet non est probabile totaliter fidem ecclesiae deficere. Nihilominus dicendum est primo quod sine dubio ita est fidem et charitatem nunquam defecturam in ecclesia. Ut patet Matth. 13., ubi dicentibus ad patrem familias: Vis eamus et colligamus ea; scilicet, zizaniam, respondet: Sinite utramque crescere usque ad messem et tempore messis, dicam messoribus: Colligite, messes autem, ut ipse Christus exponit, consummatio saeculi est. Igitur usque ad consummationem saeculi tritici; id est, boni, simul cum zizaniis; id est, mali permanserunt.

<sup>46</sup> En 1854 definió el papa Pío IX la inmaculada concepción de María. Cf. DS 2803-2804.

2º dico quod cum etiam oportet concedere ecclesiam in fide errare non posse in sensu qui explicatus est duabus illis conclusionibus. Nec de hoc habet catholicus dubitare. Hoc probat prima ratio principalis cum sua confirmatione. Hoc 2ª ratio principalis. Dicitur enim ecclesia ab apostolo columna et firmamentum veritatis. Hoc etiam 3<sup>um</sup>. argumentum Ioannis 15. et 14. Non enim Spiritus veritatis doceret omnem veritatem si aliquid falsum haberetur in ecclesia tanquam verum et certum, nec suggeret Spiritus quae essent a Deo revelata si aliquid haberet ecclesia tanquam revelatum a Deo quod revera non esset revelatum.

Probatur etiam unico argumento efficacissimo. Quia tunc ecclesia posset recipere aliquem librum tanquam revelatum a Deo, qui tamen non esset, cum sit eadem ratio de una propositione quae de uno libro. Consequens est haeticum. Iam enim non valeret argumentum: Ecclesia habet epistolam Pauli ut revelatam a Deo, ergo ita est. Quaeri posset hic an concilia in fide possint errare. Cuius determinationem habes art. 8. in prima parte.

### 5. Diego de Chaves

ROMA. Biblioteca Apostolica Vaticana. Ott. lat. 1051. Ms. 1051, fol. 37r-40r (1547).

[fol. 37r] [...] Sed est dubium. Sequitur quod non solum papa, sed neque episcopus potest errare. Et sic non est magnum privilegium papae. Quia si episcopus facit quod in se est, Dominus adiuvabit illum et non errabit. Consequens tamen est falsum.

Respondetur negando sequelam. Ad probationem nego antecedens. Nam erravit etsi facit quod in se est, sed bene verum est quod non imputabitur illi ille error, ut in concilio carthaginensi erraverat gravissime et ibi interfuit Cyprianus.

Et tamen in 3 Parte q. 64. art. 9<sup>47</sup> quaeritur quomodo intelligatur quod ecclesia non potest errare. Utrum possit invincibiliter errare?<sup>48</sup> Potest enim esse quod ecclesia non posset deficere, etc., in fide, sed neque possit errare?<sup>49</sup> V. g. ignorabatur olim utrum Spiritus sanctus procederet a Patre, tamen invincibiliter ignorabatur Filioque?<sup>50</sup> Ita est quaestio haec<sup>51</sup>.

<sup>47</sup> Aparece escrito a continuación en el cuerpo del texto: *Haec lectio est magistri Cano loco fratris Didaci de Havez que tene muxa xaueca.*

<sup>48</sup> No está en el msnuscrito el signo de interrogación.

<sup>49</sup> No está en el msnuscrito el signo de interrogación.

<sup>50</sup> No está en el msnuscrito el signo de interrogación.

<sup>51</sup> Ms. quae. Aquí se ha colocado en vez en el cuerpo: haec.

Dubium movetur aliquod propter Turrecrematam c. 91, lib. 2 suorum operum. Dicit quod ecclesia non potest errare in hunc modum, *que es dezir que* semper habebit fidem usque ad consummationem saeculi. Et citat illud Matth. 16 *en la glosa que dize* super illa verba: Et portae inferi [fol. 37v] non praevalent adversus eam. Et citat S. Tho. in 4. dist. 5. q. 1<sup>a</sup> art. 3 quaestiu- cula 2. ad 3<sup>um</sup> unde adducit illud Matth., Ecce ego vobiscum sum usque ad, etc., ubi declarat quod fides nunquam deficiet in sua ecclesia. Et hoc videtur confirmari quando Dominus promisit Petro, etc., Ego rogavi pro te, etc.

Inter ista testimonia est illud Matth. 13. Quando pater familias seminasset semen etc., et declarat Dominus quod tempus messis est. E parabola dicitur quod semper erit fides. Et ex hoc tenetur quod ecclesia non potest errare in fide, tam in proponendo quam definiendo. Et sic tenet firmiter quod invincibiliter non potest ignorare pertinens ad ecclesiam. Et in hoc distinguitur quod quicquid proiecerit tanquam falsa, sunt falsa, et quicquid habuerit tanquam verum, sunt vera. Et in hoc distinguuntur a sanctis et a veris doctoribus.

[fol. 38r] Utrum sancti possint invincibiliter errare?<sup>52</sup> Et hoc patet ex 1. Tim. 3<sup>o</sup>: Ecclesia est firmamentum et columna veritatis, etc. Non dicit colum- na fidei, sed veritatis. 2<sup>o</sup> patet Ioan. 14 ubi dicit Dominus quod dabit alium paraclitum Spiritum veritatis, etc. Et ille docebit vos omnia. Ergo. Igitur ad- ministraverit omnem veritatem. Et idem cap. 15. et 16: Docebit omnem veri- tatem. Et est argumentum irrefragabile. Si non posset ecclesia errare, ecclesia posset nobis proponere librum non sacrum pro sacro. Et sic posset invincibili- ter ignorare. Hoc autem est haereticum. Ergo non potest ecclesia, etc.

Aliud dubium est an fides potest manere in uno solo fideli an necesse sit in multis perseverare. Hoc movetur propter aliquos qui asserunt quod in passione Christi mansit fides in sola vergine Maria. Et hoc tenet Alexander in fine 3 partis in responsione symboli. Et dicit: Mihi placet haec opinio. Et hoc idem tenet author in Rationali divinorum officiorum quae in *semana* sancta. Reddit enim rationem: *Porque* non extinguitur una lucerna dicit quod beata Virgo sola [fol. 38v] fuit quae habuit fidem.

Hoc idem tenet Turrecremata lib. 3<sup>o</sup> suae Summae cap. 61. Et probat multis argumentis. Quorum<sup>53</sup> primum argumentum est ex illo: Omnes vos scandalum patiemini in me ista nocte. *A ninguno saca* dispergens. Ergo. *Dize la glosa*: id est, ab una fide solventur. Et desumitur argumentum. Et 2<sup>o</sup> argui- tur ex Lucae 24: Quod verba dicta a mulieribus visa sunt illis quasi delira- menta. Tamen si habuissent fidem, etc. Ergo. 3<sup>o</sup> ex Marci ultimo *dize que* in- crepavit incredulitatem et duritiam cordis. Et ibi erant omnes apostoli. Ergo.

<sup>52</sup> No está en el msnuscrito el signo de interrogación.

<sup>53</sup> Sigue en el manuscrito: primum est st. Ello parece que sobra desde lo que sigue.



2º citat Augustinum, Gregorium, Isidorum, Hieronymum, Ambrosium. Dicunt quod sola virgo fuit quae tunc habuit fidem. Et Ambrosius dist. 50 cap. fidelior factus est Petrus, etc. Anselmus super Psal. 68 super illa verba: Defecerunt oculi mei, *dize que* intelligitur illud versum de apostolis. Ex illa declaratione patet intentum.

Sed sit 1ª propositio. Quod stultum est asserere quod tempore passionis in nullo fuit fides nisi in virgine. Patet. In parvulis circuncissis apud iudaeos *o de algunos* [fol. 39r] alios sanctos. Praeterea multi fideles erant dispersi per orbem ad quos non pervenerat praedicatio Christi. Ergo. Dico quod est falsum dicere quod fides explicita Christi mansit in beata virgine tempore passionis. Patet. Quia non est verisimile magos non praedicasse et instruisse filios suos *o servos* in fide Christi. Et patet adhuc apud Abagano qui speravit adventui Christi et scripsit epistolam Christo ut mitteret discipulum. Et adhuc patet Ioan. 4. cap. multi samaritani crediderunt in Christo. Ergo non est probabile nec credibile quod perdiderint fidem. Et etiam de Maria Magadana et de Chananea.

3º dico quod nec Petrus nec apostoli alii perdiderunt fidem. Hoc dicit Augustinus Super Psalmum 118 contione 13 per illud versum: Ne auferas de ore meo verbum veritatis. Et patet. Lucae 22 dicit: Ipse vos Sathanas expeitiit, etc. Dominus et loquebatur Petra. Quod loquar in una petra patet *porque* antea loquebatur aliis. Et sic patet in Augustino quod loquebatur Petro. [fol. 39v] Et quod loquitur de fide patet. Et quod non defecit patet. Quia Christus oravit pro ilo. Et illa oratio non fuit inanis. Confirmatur. Non perdidit fidem. Sed aliqui dicunt quod intelligitur de fide finaliter. Sed est expositio est nulla.

